



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ
Præcones**

Stengel, Georg

Ingolstadt, 1645

Capvt IV. Æquitas, bonitasque diuina, in tempestatibus & mundi
elementis, Pharaoni, Alphonso X. alijsque luculentè ostensa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52365)

Conditoris. Nec, si secum argumentis putet, meliùs eam vllus subditiuus Dædalus condere potuisset. Apparet ergo, tonitrua & fulmina, & ignes, & incendia, non naturæ tantùm, neque tentatoris duntaxat Stygij, sed etiam DEI esse, & aliquando quidem defendentis, sæpe tamen etiam terrentis, aut punientis instrumenta.

C A P V T IV.

Æquitas bonitasq; diuina, in tempestatibus, & mundi elementis, Pharaoni, Alphonso X. alijsq; luculentè ostensa.

§. I.

Ignis è terra erumpentis, & fulminum vera causa fabulosa opposita.

Gigantes olim, cùm Iouem vellent Virg. in cælo pellere, finguntur à Poëtis Ætna. fulminum iactu deturbati. Nimirum vt vel fictum DEVM docerent, in picturis ac statuis, meritò exprimi, rubente dextera fulmen vibrantem, sumpta occasione, ex turri *Babel*, montes montibus impositos cecinerunt. Vtque vel in mortuis vindictæ Gen. 11. esset monumentum, scripserunt, Typhoeum sepul-

- sepultū, quoties in latus se vertat, flammās
Strab.lib. & aquas, ex insula, euaporare. Qua de caus-
5. sa Strabo fabulam natam memorat, quòd
 cūm Eretrienses, & Chalcidenses, in Pithe-
 cufis insulis, habitarent, terræ frugibus at-
 que auri fossione beati, inde, ob terræ mo-
 tus, exhalantes ignes, aquarum feruores, &
 mare inualefcens, excedere coacti sint. Hu-
 ius enim generis eructationes habet insula,
 ob quas etiā missi ab Hierone tyranno Sy-
 racusanorum coloni, paratum iam à se mū-
 rum compulsi sunt deserere. Hæc natia soli
 damna, eiusmodi fabulā Poëtæ excusa-
 uerunt. Sed non opus est ad fabulas confu-
Prouerb. gere. *Dominus sapientia fundauit terram, sta-*
3. 19. *biliiuit cœlos prudentia: vbi voluit, posuit bi-*
 tumen, sulphur, & ignes, quæ & ipsa cedunt
 in hominum vtilitatem. Nam & bitumine
 muros Semiramis struxisse dicitur, & aqua
Plin.l. 31. *bituminata & nitrosa, qualis Cutilia, utilis est*
e. 6. *bibendo, atque purgationibus; & eiusmodi ign-*
 nes de terra, aut cœlo erumpentes, vt iam
 olim docuit Tertullianus imago sunt infe-
Eccl. 10. rorum. Denique *in manu Dei potestas terra.*
4. vnde sæpenumero *terras gentium euertit Do-*
Iob. 11. 19. *minus, & perdidit eas usq; ad fundamentum.*
Gen. 19, *Quod factum est, quando Dominus pluit su-*
24. *per*

& Alphonsum, aliosq; castigantia. 63

per Sodomam & Gomorham sulphur & ignem
à Domino, de caelo: & subuertit ciuitates has,
& omnem circa regionem, vniuersos habitato-
res urbium, & cuncta terra virentia: item,
quando Moyse virgam in caelum extenden-
te; Dominus dedit tonitrua, & grandinem, ac
discurrentia fulgura, super terram: pluit q; Do-
minus grandinem super terram Egypti. Et gran-
do & ignis mixta pariter ferebantur, tantaq;
fuit magnitudinis, quanta ante nunquam ap-
paruit, in vniuersa terra Egypti. Sed saepe,
vbi forti medicina opus est, per tonitrua
concionatur, per fulgura illuminat men-
tes, dum caecat oculos DEVS, quod non so-
lum factum est, quando Paulum subito cir-
cumfulsit lux, de caelo, & ille cadens in terram
audiuit vocem dicentem sibi: Saule, Saule, quid
me persequeris? voce pariter & luce percus-
sus: sed etiam regi in caelum ferocienti; cui
de ingenio atq; sapientiam suam stulta opinio
factum fecerat, forti manu, deprimendum.
Verum operæ pretium erit, rem deductius
narrare.

§. II.

Alphonsi Deum corrigentis Arrogans & amens
superbia.

Tradit, in Hispanorum annalibus, Ro- Roder.
deri-

Santius dericus Santius Alphonsum X. huius nomi-
4. p. hist. nis Ferdinandi III. filium, non minùs su-
Hisp. cap. perbiâ, quàm honoribus elatum, eò super-
5. cilio fuisse, vt ipsa etiam diuina opera, quæ
perfectissima, & cū summa sapientia, pon-
dere, numero, & mensura creata sunt, au-
deret, sub censuram suam, nouus Momus
rapere. Iam hoc illi, in mundo, displicebat,
iam illud. Hyems nimis frigida, æstas nimis
calida erat: cælum nimis altum, mare nimis
profundum. Nec hominis illi satis proba-
batur fabrica; cornutos omnes esse voluif-
set magisq; nasutos. Qualis scilicet ipse erat,
cui nasus fuit plus quàm Rhinocerotis. At-
que, vt videas, apud superbos, nullum esse
terminū insaniendi, eò Alphonfus hic pro-
gressus est, vt sacrilego ore palam iactaret:
si ipse, à principio creationis humane Dei altissi-
mi consilio interfuisset, futurum utiq;, vt non-
Ouid. lib. *nulla meliùs ordinatusq;, conderentur.* O va-
6. Metâ. na! ô funesta! ô impiè superba amentia!
Itane Marfyas prouocat Apollinem? disci-
pulus docet Magistrum? homo stultissimus
æternam sapientiam emendat? Aliter sapi-
Eccl. 3.14. ens ille loquitur, qui ait, *non possumus eis* (o-
peribus DEI) *quidquã addere, nec auferre.* Nec
Psal. 71. aliter alter, qui ait: *Magnificata sunt opera*
17. *tua,*

tua, Domine, omnia in sapientia fecisti. Nimirum stultitia in suam prodit, qui sapientiam Psalm. 72
17.
carpit: atque, qui se, cœlestibus oculis anteponebat, cœcitatē suam ostendit: non secus, ac si talpa lyncē, noctua aquilam velit ducere. Qua de causa diligenter monet ille sollicitus parens: *superbiam nunquam, in tuo sensu, aut in* Tob. 4 14.
tuo verbo, dominari permittas. Permisit hoc superbix dominium, & in sensu, & in verbo suo ebullire Alphonsum; & quò eum non impulit? Ne joco duntaxat flagitiosa illa verba protulisse videretur, de suo sensu confidens, idem arrogantissimum, & stolidissimā vanitate plenissimum dictum identidē repetiuit. Audijt has, in cœlo, voces DEVS. Quo sensu audijt? quo Apelles, quo Zeuxis, quo alius minorū gentium artifex audiisset sutorē, absolutissimum suum opus, etiam ultra credidas, Theonino dente, carpentem? Si sic Thraso quispiā locutus fuisset, Praxitele audiente, nonne scapulas perdidisset? Nunquid Alphonsum dignus erat, cuius se pedibus terra dehiscens subduceret? quem, cardinibus euulsis, cœlum ruens (si vllū illi pondus inest) obtereret? & cui se Tartarus, totis ostijs, panderet, in mille gehennas? Dignissimus sanè erat. Sed mirabilis est diuinę misericord-

E ricor-

ricordiæ immensitas, quæ humanam insipientiam sæpe antè erudit, quàm ferit.

§. III.

Angeli, regem per militem admonentis vigilans cura.

Miles erat, *Petrus Martini de Pampliega* dictus, cui id officium fuit, vt infantis *Manuelis* curâ gereret, illiq; esset, quod *Chiron Achilli*, instructor & manu ductor. Hic, præter communem militû morem, abdicata rerû vanitate, Numini colendo totus intentus, in somno, aspectabilè habuit iuuenem, cãdido amictu splendidum, & formâ humanâ augustiorem, vt facilè Angelum esse conijceret; ab eo hæc verba audiuit. *Lata est, in diuino tribunali, contra Regē Alphonsum, sententia. Hereditate excidet, & ni resipiscat, crudeli morte, interimetur.* Exterruit hæc vox militem, qui, sopitis adhuc sensibus, causam tantę comminationis cùm scire vellet, causam Angelus aperuit, nempe licentiam loquendi, quæ summates, nullum supra se metuentes, eò prouehit, vt quidquid libet, dicere statueréq; non vereantur; quasi licitum sit, quod à mortalibus non timetur puniendum. Addidit sacrilegam esse temeritatem, diuina opera corrigere molientis; ab hac m-
deli-

desisteret, atrociam mala experturum Regem; idq; ei significare militē jubet, adjecta seria exhortatione, pœnitentiæ de tanta stoliditate non procrastinandæ. Tantâ patientiâ piû Numen & sustinet, & lucrari vult Encelados istos cœlum expugnare cogitantes, & in superos arma mouentes, de terra natos, & in terrâ reuersuros, qui, cum vix sint idonei, ad opus ruri faciendû, audent DEO leges dare, & recta prauâ facere.

§. IV.

Militis fidelitas, regis contumacia, Numinis longanimitas,

Miles, vt erat diuini honoris sitientissimus, non diu cunctatus, illico Regem, apud Burgos, commorantem adiit, petitoq; colloquio secreto, primûm ei exposuit, quæ visu, deinde etiam quæ auditu acceperat: postea oratione vehementi suadere cœpit, vt tam blasphema verba, quæ delirando illi exciderant, etiam atq; etiam, corâ ijsdem, quâ audierant, retractaret. Mirare hîc, Lector, nouum (ah nimis antiquum & consuetum) certandi genus. Summa DEI bonitas, cum summâ hominis malitiâ pugnat; & certat illa, vt clementiâ; ista, vt pertinaciâ vincat. Mittit legatum offensus ad offendentē; suggerit

Psalm.
90. 6.

gerit Dominus seruo veniæ modum; monet
iudex reum, vt caueat fugiatq; supplicium.
Quæ maior posset esse bonitas? non tantùm
dat *metuentibus se significationem, vt fugiant à*
facie arcus, sed & persequentibus! At quid il-
le, *cui robur & as triplex, circa pectus erat,*
quid fecit adamantinus Alphonfus? quia iã
præualuerat in vanitate sua, militis moni-
tionem, cū risu, accepit, & acerbo sarcasmo.
Quin illico exesse iussit, peruicacissimè sa-
criste illa repetens: *si tempore creationis hu-*
mana interfuisset, plurima melius ordinari po-
tuisse. Olim, promagno absurdo habebatur,
si sus docere Mineruã voluisset: aliquid abe-
surdus nostra sæcula audierunt. Potestne
humana superbia altiùs ascendere? olim, in
Lucifero, iuxta DEVM; iam in Alphonso, su-
pra DEVM ascendit, quem putare audet, ho-
mine minùs sapientem. Quid hîc par fuit fa-
cere diuinam Maiestatem? in quod non ca-
lamitatis barathrũ debuit hunc Regem præ-
cipitare? Ex æquo fecisset, si eum iuxta, aut
infra ipsum Luciferum, in inferni infima, &
ultima applausisset, tam nouum, & impi-
um æmulum diuinitatis.

§. V.

Altera vice pulsans, & moneri superbũ regem
inbens Deus, dennuo repellitur. At

¶ *Alphonsum, aliosq; castigantia.* ¶

Atvide cælestis Clementiæ immensitatē.
Expulso, cum ignominia, pio milite, ac fide-
li monitore, pauci ierant dies, cum iam Rex,
apud Segobiam, versaretur, Eremitæ cuidā
sanctissimo viro, eadem de Rege diuinitus
ostensa mandataque sunt, quæ prius militi
fuerant reuelata, & mandata. Eremita
nihil prius habuit, quàm vt Regem adiret,
ei que, que vidisset, quæ audisset, ordine re-
ferret, hortareturque, ad tam detestandam,
de diuina Sapientia, blasphemiam quantocy-
ùs retractandam, pœnitentiaque exempla-
ri diluendam. Poterat hæc iterata monitio,
fidem priori facere. poterat vel corneā fibrā
emollire; sed verba fiebāt mortuo. Alphon-
sus, saxo durior, tanquā alter Sennacherib,
in blasphemia perstitit; velut nouus Nabu-
chodonosor, in superbia confirmatus, pro
eo, vt diligeret Eremitam, toruo vultu, &
corrugato naso, percussit, iratissimāq; voce,
vt insipientē, abire à se procul in malā rem
iussit, iterum nefanda illa verba repetens: *Si
tempore creationis humana interfuisset, pluri-
ma melius ordinari potuisset.* Nempe Holofer-
nem aut egit, aut imitatus est, Achior incre-
pantem, quòd soli Deo potentiam attribu-
isset. Væ vobis, Principes, væ Reges, si eò per-

factum elati estis, vt neque primipilos militum, neq; bonos consiliarios, neq; viros religiosos, neq; ipsos confessarios, aut Eremitas amplius audire sustineatis. Obdurata aures, obdurati cordis sunt argumentū: & obduratum cor, magnum est aut pereuntis signum, aut perituri.

§. VI.

Fulminum, & tempestatis metu, tandem Alphonsus ad pœnitentiam adigitur.

Quancquã non rarò D E V S misericordiæ suæ omnipotentiam, etiam in istis faxis, ostendit. Accipite enim, obsecro, quid porò contigerit huic, tam diu Christianū Pharaonē agenti. Proximâ nocte, tenebris horrorem augmentibus, tandem sese cœpit exercere diuinæ maiestatis ira. Primùm insoliti venti, & spiritus procellarum, concussis arborum ramis, & ædificiorum fundamentis vāsanissimè fremuerunt. Crepabant fenestras; tremebant ianue, quatiebantur muri, mœnia ipsa videbantur collapsura. Caliginoso & nocturno cælo inducebantur fœdissimæ nubes. Eæ inter se, Aquilonum vi, collisæ in repentinam flammâ emicabant: fulguraq; metuenda identidem, è tenebris, coruscantia oculos perstringebant. Fulgura
aërem

aërem incendientia, sequebantur horrenda tonitrua, quæ, abrupto fragore, ipsã mundi compagem videbantur solutura. Nec fuere fulgura illa è pelui, sed terrifico lumini fulmina tam densa miscebantur, vt cælũ cadere videretur. Nimirum *tunc intonuit de celo* **Psal. 17.**
Dominus, & Altissimus dedit vocẽ suam: grando & carbones ignis: misit sagittas suas, & dissipavit eos: fulgura multiplicavit, & conturbavit eos. Nã, Qui sunt, qui trepidant, & ad omnia fulgura pallent? Nonne quorũ conscientia clamat, DEVM se habere inimicũ? Quid ergo tunc animi Alphonso putemus fuisse? cùm præsertim & tempestas, & circumstantes venti, & fulminum jactus, illi semper fierent viciniore? Trepidabat Rex, sed, ad salutaria stupidus, non emendabatur. Itaque propius censuit ira Numinis feriendũ. Fulmen trifurcum in ipsum eius cubiculũ destinat, quo & Regis & Reginae vestes exemplò combustæ, atq; in cineres redactæ fuerunt. Ibi enim è veterno excitatus Alphonfus, sed attonitus, & vix loqui valens, cubicularios vocat, jubetq; Eremitam, ante aliquot horas, cum indignatione, abactũ actutum reuocari. Sed erat ea tempestatis vehementia, vt è palatio exire nemo posset. Re-

petitis igitur cæli mugientis fragoribus ictibusq; & corusco fulmine, alia super alia incendente, immensum auctus est Regis metus, vt aueretur & desiderium Eremitæ reuocandi. Quem vt tandem vidit Rex ingredientem, iam longè à se alius ad pedes eius procidens; *Ego, inquit, sum, qui peccaui.* Eremita verò, *Homo acharis, ait, quasi fabula vana.* Et: *Quis posuit in visceribus hominis sapientiam?* Nuncquid Altissimi Consiliarius tu es? O vtinam, Rex, memor fuisses verborum Regis sapientissimi Salomonis; *Vanitatem, & verba mendacia longè fac à me.* Vides nunc omnipotentiam D. E. I? Vides, cur fulmina eondiderit?

Eccl. 10.
21. Iob.
38. 36.

Proverb.
30. 8.

§. VII.

Fulminum vis, Deo seruientium tribus exemplis, declaratur.

Si homines diuina affectare, si Pelion Ossa imponere, si se gigantes existimare volunt, *pugnabit cum illo Orbis terrarum, contra insensatos. Ibunt directè emissiones fulgurum, & tanquam à benè curuato arcu nubium, exterminabuntur, & ad certum locum insilient; in intimum tuum cubile penetrabunt; pectus tuum ferient: hoc satis est Creatori, si habeat tales satellites, honorisque sui defensores.*

Sapi. 5. 21.

fores. Tales habuit Elias, & tunc, quando 3. Reg. 18.
frustra clamantibus sacrificulis Baal, elicuit 38. 4. Reg.
ignem de caelo, ad absumendum holocau- 1. 9.
stum; & tunc, quando Ochozias misit ad eum
quinquagenarium Principem, & quinquaginta,
qui erant sub eo. Qui ascendit ad eum, sedentiq;
in vertice montis, ait: Homo Dei, Rex praecepit,
ut descendas. Respondensq; Elias, dixit Quin-
quagenario: Si homo Dei sum, descendat ignis
de caelo & deuoret te, & quinquaginta tuos. De-
scendit itaq; ignis de caelo, & deuorauit eum, &
quinquaginta, qui erant cum eo. Rursusq; misit
ad eum Principem Quinquagenariū alterum,
& quinquaginta cū eo. Qui locutus est illi: Ho-
mo Dei, haec dicit Rex, festina, descende. Respon-
dens Elias, ait: Si homo Dei ego sum, descendat
ignis de caelo, & deuoret te, & quinquaginta tu-
os. Descēdit ergo ignis de caelo, & deuorauit illū,
& quinquaginta eius. Nunquid tunc fulmen
inutile fuit, quando hominē DEI defendit,
& hostes DEI extinxit? sicut & Iudā Macha-
bæo pugnante, cūm uehemens pugna esset, ap- 2. Ma-
paruerunt aduersarijs viri quinque de caelo, in chab. 10.
equis, franis aureis decori, ducatū Iudais pra- 29.
stantes, ex quibus duo Machabeum mediū ha-
bentes, armis suis circumseptum incolumem
conseruabant; in aduersarios autem tela & ful-

mina jaciebant, ex quo & cecitate confusi, & repleti perturbatione cadebant. Interfecti sunt autem viginti millia, quingenti, & equites sexcenti. Olim duo fulmina belli Scipiade dicebantur. Hi duo Angeli, immo quinque, an non æquius belli fulmina poterat appellari? Machabæo autem, an fulmen non profuit? exercitum totum Israëlitarum, immo cælum ipsum defendit, ut verè fulminatrix legio posset appellari. Quin & tibi, Rex Alphonse, profuit: terruit, ut resipisceres; & vel iam tonat, ut minis erudiaris. Adhuc misericordiam sperare potes, si te finis doceri; sin in amentia tua perseveras, & fulmen, & æternos ignes expecta, in pœnam desperatorum, creatos;

Pla. 97.4. *Tunc demum ignis in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius tempestas valida.* Nunc tantum præluditur. Nunc fulgurantem vidisti: nisi in tempore sapis, experieris fulminantem DEVM. Tunc idem hoc tibi, quod bene promeritus fueris, conduplicabitur.

§. VIII.

Pœnitentia compescit tempestatem, à qua fuerat, & ipsa Alphonso Regi obiecta.

Rex & oratione ista fulminatus, & metu tam tremæ tempestatem iam antè percussus, primum cœpit, publicè, nefandas suas blas-

blasphemias retractare, ac illud: *Bene omnia fecit*, profiteri. Deinde instantis mortis gehennæque formidine, eidem Eremitæ peccata sua voluit confiteri. Mox, magno animi mœrore, ac eiulabili pœnitundine doluit, à se Numen, tantâ stultitiâ, quantâ superbiâ offensum. Secutę sunt dolorem hũc amarissimæ lachrymæ. Stupendum dictu, quò ille vehementiùs fleuit, eò se magis fregit tempestas; quæ tantò serenior effecta est, quantò ille vberiores imbres fudit lachrymarũ. Neq; desijt ille insanias suas antè deplorare, quàm DEVS & cælum ad liquidum tranquillaretur. Sic fulminat misericors Dominus: vt ostendat superbis errorẽ suũ; ad modestiam eos redigit, docetq; vel in hoc, magnam esse fulgurum, tonitruum, fulminumque vtilitatem. Alphonfus certè aliter, post illa, sensit, aliter vixit, piéq; pœnitentiã actã, apud Hispalim, defunctus, cor suũ eviscerari, Murtiã deferri, & in templo S. Mariæ, quod magnificè construxerat, sepeliri iussit. æternum diuinæ potentia, patientiaque monumentum. Ita, qua potentia, Apollinis in Daphne idolum, ac Iuliani Apostatę, contra Babylã martyrẽ, insolentiam fulmen deiecit, deiecit & superbiam Alphonfi.

§. IX.

Baron. in
Martyrol.
24. Ian.

Igne de caelo cadente punitorum complura exempla.

Quis hanc historiã narrari audiens, non dicat: *Benedicite fulgura & nubes Domino?* Nam coruscationes hæ & iram, & misericordiam DEI luculentè patefecerunt. Cumq; sint omnes via Domini misericordia & veritas, necesse est, mundo exhibere, non tantum benignitatem erga homines, sed etiam opera justitię vindicis peccatorum. Si enim vindicta non esset, pauci se cælo dignos facerent, pauci virtutem sectarentur; sed propè omnes in flagitij sese cœno volutarent. Vtitur ergo DEVS creaturis suis, quas armat in peccatores. Sic igne usus est, quando Sodomam & Gomorrham, Adamam & Seboim, cum vicinis locis, ignis sulphurei nimbo exussit. Sic, Dione & Xiphilino teste, usus est igne, quando *fulminatrix legio*, imbrem de cælo bibit, hostesq; Christianorũ, prodigiosè impetratis fulminibus, attriuit. Sic non solũ in fabulis, de Encelado Titani & Terræ filio, cæterisq; Gigantibus Iouẽ in cælo oppugnãtib; semiustis, aut in Romanis de fulmine in ipsam Neronis mensam delapso; aut rursus in Christianis, de Olympio Carthagi-

Dan. 3.

Psal. 34.

Gen. 19.

Dio in
Mare.
Aurel.
Baron.
An, 176.

thaginensi Arriano Episcopo, in Balneo publico; SS. Trinitatem detestante, tribus fulminibus icto, & in cineres redacto; sed etiam de Chuga Barbarorú in Theodosium conspirantium duce fulmine tacto legimus.

Sic de Rege Francorú Theodorico memorat D. Gregorius Turonensis; nam dum fenestras atq; ianuas templi fregisset, ut eò receptos spoliaret, fulmine de cælo tactus inferni raptoris spoliolum ipse fuit. Sic, in Peruviana historia, refertur, gentem quandã giganteæ magnitudinis Sodomitico peccato foedatam, Sodomitico etiã supplicio periisse. Descendit enim de cælo, visibili forma, juvenis, qualẽ Daniel describit, instar Solis radios jaciens. Hic, coruscante manu, trifulca fulmina supernè in eos sparsit, omnesque, ad vnum, momento extinxit. Aiunt vestigia horrendæ adustionis, tam in saxis, quàm in ossibus interfectorum, adhuc reperiri. Pari pacto multas & ædes, & vrbes, & homines, incendia depopulantur, Deo scelera vindicãte, qui etiã in vindictam malefactorum, ignem æternum, diabolo, & Angelis eius, preparavit.

§. X.

Cur aliquando fulmina & tempestates saniant in innocentes? Quan-

Gregor.
Turon.
li. 3. c. 12.
de reb.
Franc.
Ioseph. à
Costa. li.
1. c. 19. de
Nat. noui
orb.

Matth.
25. 41.

Quanquam hoc mirum non est, si vel ex-
 timulet, ad flagitia deferenda, DEVS; vel ea
 deferere nolentes, fulminibus, grandini-
 busue extinguat. Mirissimum est, tempesta-
 tes non rarò malis parcere, ac sæuire in in-
 nocentes. Cur hoc DEVS agit? cur permittit?
 Mille causas habet, siue agat, siue permit-
 tat. Quis enim ei præscribat, qua ratione de-
 beat exercere innocentes, aut, è vita hac, ad
 se, in momento euocare, quod fecit, quan-
 do sanctum illum virum, tot virtutibus ac
 miraculis insignem Simeonẽ Stilitã fulmi-
 ne de columna deiectum, ad cælum euexit.
 Tametsi enim Ecclesia rectè nos doceat ora-
 re: *à fulgure & tempestate; itémque, à subitanea,*
& improvisa morte, libera nos Domine; quia
 multos fulmẽ & *subitanea*, ac præsertim *im-*
provisa mors inuenit imparatos: si tamẽ quis
 ad moriendum sit paratus, atq; ad extremũ
 illum agonem accinctus, grande potest esse,
 & corpori & animæ beneficium *mors subita-*
nea, siue celeri sagittã, siue globo plumbeo,
 siue gladio ferreo, siue fulmine illata; antè
 enim, quàm mors talis sentiatur, iam est
 transacta: aut certè idem est tangi & mori,
 sentire & finire dolorẽ. Quantis igitur mo-
 lestijs morborum & pharmacorũ, & hære-
 ditatem

ditatem ambientium, & insomniorum, & tormentorū liberat mors præcipitata? quæ etiā magno compendio, absoluit animas ad moriendum semper paratas. Nam quantis ea angoribus, quantis dæmonum machinationibus, quantis tentationum procellis filum incidit? Grata est mors mortem optantibus, si cita venit; & quò compendiosior; eò clementior. Solet etiam DEVS malo dæmoni non rarò potestatem facere, vt grandines spargat, vt fulmina jaciatur, vt nimbis, turbinibus, pruinis agros populetur. At tunc, quid mirū est, si dæmon innocentes vexet, & sibi seruientibus parcat, in stipendij mercedem? Notum est, cur Iobum, igne de cælo cadente, exagitârit. voluit scilicet nocentem atque impatientem facere, ex innocente: voluit DEI amicū exagitare. DEVS autem voluit amici sui constantiā atq; fortitudinem toti mundo velut in theatrū producere. Neq; grande beneficium est, si malorū fati & pratis parcat humanæ gentis inimicus. Nunquam is parcat, nisi vt sæuiat.

Hostium dona, non sunt dona.

§. XI.

*Cur tempestates aliquando parcant
nocentibus?*

Thom. In provincia Pronincia, ait Episcopus pius,
Câsprat. apud Lemonicas, tempore etatis nostra, Priore
lib. 2. cap. Fratrum Prædicatorum eiusdē ciuitatis nar-
17. §. 3. rante, percepimus, tanta magnitudinis grandi-
 nes cecidisse, ut in urbibus, villis, atq; campe-
 stribus tecta frangerentur, demolirentur vineæ,
 fruges redigerētur in paleas, homines extra te-
 cta, volucres in agris, & pecora, necarentur.
 Qualiter autem his se immiscuerit sathanas,
 breuiter audiamus. Vinearum custos, sub tu-
 gurio in campestribus, imminentibus tempesta-
 tibus latitabat, & audiuit clamantium voces,
 in aëre: Caue Caue. Et alius respondebat: quid
 cauebo? Et prius. Vineam Petri Richardi
 ne læseris. Sopita ergo postmodum tempestate,
 sola vinea Petri Richardi immunis reperta est
 à læsura. Erat autem Petrus Richardus (sic e-
 nim binomius vocabatur) usurarius pessimus,
 & obnoxius multis malis. Ex quo considerandū
 est, quia, in comitatu spirituum nefandorum,
 amicos, immò potiùs inimicos, ut sanius loquar,
 demones habuisset, qui ei bona sua, et si ad vita-
 solatium, tamen ad perpetue damnationis cu-
 mulum, conseruassent. Noñe huic auaro ma-
 gis profuisset, oleum incendio demi, & fo-
 mitem subduci cupiditati, & adeò, pati,
 quàm declinare tempestatem? Nō est opta-
 bilis

bilis clementia parcere, vt sequantur atrociora. Calamitatis causâ, hostis facit fortunatos. Sæpe grando contudit innocentis coloni segetē, vt patiētiam meteret; sæpe viri dolosi vites non verberavit, vt felicitate suâ inebriaretur. Quod aër, atq; ignis alijs quoque modis nō rarò perpetrat. Siue ergo noceat, vtiliter potest nocere; siue faueat, potest fauere perniciosè. Immo siue fauere, siue nocere videatur, semper nocet ijs, apud quos virtus est in vinculis, scelus in foliis; prodest illis, qui DEVM, in omni tempestate, venerantur.

§. XII.

Sanctorū meritis, ab igne intacta manere, quæ alioqui flamma vorax absorberet.

Sæpe etiam, contra naturæ suæ indolem, vim suam exserere vetatur; vt ea non attingat, quæ Sancti attigerūt. Nam, vt Sigonius refert, cū in hospitio, in quo D. Germanus Antisiodorensis Episcopus, in Britannia ægrotus iacebat, graue casu excitatum esset incendium; illud vehemētius homines mouit, quòd, quæ acris hominum sedulitas custodiuerat, omnia vis ignis exhausit: quæ verò vir Sanctus tetigit, illa omnino flamma nō læsit. Habet nimirum DEVS cælestes

Sigon. li.
12. Imp.
Occid.

F
quas-

quasdam salamandras, qui est *mirabilis*, in *Sanctis suis*. Neque tres pueri tantum eiusmodi Salamandræ fuerunt, sed & alij serui DEI. Vim extinguendi ignis, in salamandra, alij frigori natiuo ascribunt; alij autumant esse fabulosam. Vis domandæ flammæ, in Sanctis, ex alia flamma sancta prouenit: nec est fabulosa. Marcellinus, teste Gregorio Turonensi, Anconitanus Episcopus podagra affectus, manib⁹ gestatus alienis, vrbis incendium, ex aduerso se obliiciens, de repente cessare fecit, tam potens virtute, cum pedibus tam debilis esset. Leo IV. Pontifex incendium signo crucis extinxit, quod diu per domos Saxonum & Longobardorū vagatum D. Petri basilicæ appropinquabat, vt Sigonius testatur. Quem extinguendorū incendiorum modum meritò censeas Christianos magis decere, quàm vt, à Iudæis accepta arte, inscriptam certis quibusdā verbis, à Moyse olim pronunciatis, in ignē iniiciant schedam. Iudaizant, qui à Iudæis eiusmodi res discere malūt, quàm à Christianis. Et Iudæi rectiùs Moyse sanctitatē imitarentur, quàm potestatem. Deniq; , vt norimus vtrumq; esse in potestate Sanctorum, defendere scilicet, contra ignes, atque defendi,

S. Gregor
Tur. lib. 1.
Dial. c. 6.

Sigon.
l. 5. regni
Italix.

fendi, cum Romæ Elphegus Cantuariensis Marul. li.
Archiepiscopus omnibus bonis exutus, & 3. cap. 3.
vrbe eiectus fuisset, repentino recta incen-
dio conflagrare ceperunt. Reuocatus est,
suâq; oratione incendium extinxit. O quo-
ties sancti hominum patroni, ac præcipuè
custodes Angeli nō incendia solùm, aut ful-
mina à capitibus nostris auertunt oratione
sua, sed etiam obstant, ne in æternos ignes
proijciamur? At nos id tam grande benefi-
cium non agnoscimus, per quod ad DEVM
amandum inuitamur; alioqui vtique etiam
in ipsis fulminibus, & tempestatibus, lau-
dandi Creatoris argumentum reperiremus.

§. XIII.

Fulminum naturales, & spirituales utilitates.

Quid quòd aliæ quoq; causæ, atque uti-
litates, immo necessitates, in igne, atque in
aëris intēperie, reperiuntur? Quid sine plu-
uijs terra gigneret? An non sine ventis aër
ignauus putresceret? Fulminum vis, an non
omnipotentiam Creatoris manifestat? im-
pingit in nubium latera sicca & calida ter-
ræ expiratione, motuq; ita incalescit, vt, hor-
ribili cum fragore obstaculum disrumpens,
omnem bellici tormēti sonitum impetumq;
vincat. Quid quòd *Cerannia* (Iaspidis id ge-
nus

nus est) nullibi, nisi in locis fulmine ictis, reperiatur? Quid quòd à cuneo Fulminis ramenta & rasuræ ad medicamenta vtiliter adhibeantur? Aliæ quoq; vtilitates plurimæ ex igne, aut fulminibus, seu in artes, seu in mores redundant. De rebus Orientalibus memorat Olaus Magnus, apud Gothos & Sueonios, à fulmine tangi montes marmoream duritiem superantes, eorumq; ictibus formari tū pyramides, tum columnas, quæ nō minore arte excisæ videantur, quam humano labore, & reliquæ à lapicidis conficiuntur. Quis non miretur hīc opificem DEVM? Sed vel maximè hinc mores instruantur. Vt taceam, Martinum Lutherum Iurisprudentiæ adhuc studiosum, in agro, cum socio deambulante, repētè, fulminis ictu, minimo minùs, socium autem eius omnino exanimatum fuisse, Lutherumq;, ex illo terrore, Monachum factum. An non superbi hīc discunt metuere? Nam sicut fulmen igne id sursum euocante, & vi, qua è nube deicitur, deorsum premente, obliquo plerumq; motu fertur, atque idcirco summos præcipuè montes, & præaltas turres ferit (adeò, vt in Italia, quondam inter Sarracinam & ædem Feroniæ, turres fieri desierint, nulla nempe

Olaus
mag. li. 5.
cap. 16.

Sur. in
com. sub.
annum
Christi.
1517.

nempe non earū fulmine deiecta) ita sum-
ma capita plerumq; citiùs, certè grauiùs, à
DEO puniuntur. Sicut fulmen valētiora ve-
hementiùs obterit, eò quòd non cedant, ita *Iac 4. 6.*
superbis resistit Deus, qui humilibus dat gratiã.
Apud Aristotelem, in scuto fulmine ic̄to, æs
liquefactum, lignū quia exhalationi transi-
tum dederat, nihil perpeffum legitur. Nec
similitudine duntaxt, sed etiam reipsã ful-
men superbiam notauit. Tradit enim Oro-
sius, Lucij AElj Equitis Romani filiam ful-
minatam, omnibus vestimentis ac pectoris
pedumq; vinculis dissolutis, monilibusque
& annulis discussis. Ita fulmina, ita ignis, ita
aër, & tempestates sunt Numinis satellites,
& hominum doctores.

Orosius.
lib. 5.
cap. 15.

§. XIV.

Alia Fulminis spirituales utilitates.

In igne, hominis DEVM amantis virtu-
tes intuemur. Vterque ignis lucidus, cali-
dus, celer est. Vterq; sursum tendit. Nam &
eius, qui DEVM amat, lucent opera, calet
affectus, nec patitur amor tarditatē: deniq;
cælum versus semper mouetur; nec ter-
ram petit, nisi violentiam patiatur. Quid
quòd celeritas Angelici motus hinc inote-
scit? quippe fulminis ocyor alis is est. Vnde &

Luc. 10. Dominus ait: *videbam sathanam, sicut fulgur,*
 18. *de celo cadentem.* Immo & claritas eius ful-
 Matth. gure exprimitur. Quippe boni Angeli *aspe-*
 28. 3. *ctus erat, sicut fulgur.* Quin ipsius Filij homi-
 nis velocitas & claritas pariter, cum fulgu-
 re, comparatur. Nam, *sicut fulgur coruscans*
 Luc. 17. *de celo, in ea, quæ sub celo sunt, fulget: ita erit Fi-*
 24. *lius hominis, in die sua.* Et, quia *celeritatis, atq;*
claritatis similitudinam habemus, addamus
 & reliquas duas corporis gloriosi dotes, *im-*
passibilitatem, inquam, & *penetrabilitatem,*
 quæ itidē quodammodo in fulmine conspi-
 ciuntur. Aiunt enim, fulminis lapidē, ob ve-
 hementem lentæ & viscosæ materiæ siccita-
 tem, nulla ratione liquari aut emolliri pos-
 se, tametsi durissimi alioqui silices liquefie-
 ri fundique, per artem, soleant. Quæ est uti-
 que quædam *impassibilitatis* imago. *Penetra-*
ibilitatis autem longè clarior, in fulmine, si-
 militudo reperitur. Est enim quoddam ful-
 minis genus, quod *clarum* vocant, subtile &
 flammeū, ita terebrans, ut per angustissima
 quæque, ob puram flammæ tenuitatem, ef-
 fugiat, nimiaque velocitate transiens, nihil
 denigret; imò ut dolia exhauriat, nullo sui
 vestigio relicto, intactis operimentis; gladi-
 ósque, illæsâ vaginâ, absumat; aut nummos,
 cru-

erumena non attaminata: quin vt ipsa animalis ossa minutatim conterat, carne integra. Certè, hunc in modum, Martia Romanorum Princeps grauida, partu exanimato fulminata, citra vllum aliud incommodum, superuixit. Est & inferni ignis in fulmine, adumbratio. Etsi enim eo nihil vrat vehementiùs, multa tamè fulmina habent, quod Aristoteles tradit, de igne in Pithecusis, qui non comburit; aut quod, in vino adusto, experientia monstrat, quo charta, vel pannus imbutus accendi potest, comburi non potest. Quid, quòd ipsum incendium fulmine excitatū, & vt aiunt, vix alio liquore, quàm lacte extingubile, quemadmodum & Asbestus lapis semel accensus, quandā æterni ignis effigiem repræsentat? Ita res mala malis, bonis bona fit materia meditandi; quemadmodum multi in Æthna, Vesuuio, alijsq; ardentibus, & ignè eructantib⁹ saxis ac montibus, immo in salis cocti, atque alijs officinis, quas Vulcanus vrit; quin omni flamma aspecta, inferorum sibi incendia imaginantur. Quanquam nihil ad hanc rem cogitandam aptius fulmine.

§. XV.

Ceadda, in tempestatibus, meditatio. Et timoris etiam seruilis utilitas. In-

Arist. de admir. cap. 30.

Solin. cap. 12. & S. August. lib. 21. de Ciuit. cap. 6.

S. Beda.
lib. 4.
hist. An-
glic. ca. 3.

Inter varia virtutum merita, inquit venerabilis Beda, quibus insignitus erat Ceadda, in Merciorum Provincia Episcopus, in tantum erat timori Domini subditus, in tantum nouissimorum suorum, in omnibus memor operibus, ut si eo forte legente, vel aliquid aliud agente, repetere flatus venti maior assurgeret, continuo misericordiam Domini inuocaret; & eum generi humano propitiari rogaret. Si autem violentior aura insisteret, iam clauso codice, procideret in faciem, atque obnixius orationi incumberet. At, si procella fortior, aut nimbus perurgeret, vel etiam corusci, ac tonitrua terras & aëra terrerent, tunc veniens ad Ecclesiam sollicitus; orationibus ac psalmis, donec serenitas aëris rediret, fixa mente vacaret. Cumque interrogaretur à suis: *Quare hoc faceret? respondebat, non legistis? Quia intonuit de caelo Dominus, & altissimus dedit vocem suam, Misit sagittas suas, & dissipauit eos; Mouet enim aëra Dominus, vëtos excitat, jaculatur fulgura, de caelo intonat, ut terrigenas, ad timendum se, suscitet, ut corda eorum, in memoriam futuri iudicij, reuocet; ut superbiam eorum dissipet, & conturbet audaciam, reducto ad mentem tremendo illo tempore, quando ille, caelis & terris ardentibus, venturus est, in nubibus, cum potestate magna, & maiestate, ad iudicandos*

Psal. 17.

vivos & mortuos; propter quod oportet nos admonitioni eius caelesti, debito timore & amore respondere; ut quoties, aëre commoto, manum ad feriendum quasi minitans erexerit, nec adhuc tamē percutit, mox eius imploremus misericordiam, & discubis penetrabilibus cordis nostri, atque expugnatis vitiorum ruderibus, solliciti, ne unquam, quod percuti mereamur, agamus. Talia sanctissimus Antistes meditatus est, aliisque; caelo tonante, iussit meditari, ad timorem illum excitandum, quo homines mouentur ad rectè agendum, saltem ut poenas à Deo peccatoribus constitutas effugiant. Quod cum proprium sit feruorum, timor iste, ait S. Augustinus, quo non amatur iustitia, sed timetur poena, seruilis est; qui nō quidem ex amore DEI, sed ex amore sui oritur, attamen non idcirco repudiandus est, tanquam malus, sed vt salutaris etiam saepe, ad peccati cautelam vel medelam, adhibendus; quem & ipse Christus praescribens dixit: *Timete eum, qui potest animam & corpus perdere in gehennam.* Blasphemis igitur, & impijs utilis est tonitruum & fulminum metus, imo & sanctis quoque eiuscemodi rerum terribilium prodest consideratio. Configit enim timore carnes eorum, qui ita timent offensionē

S. Augustin. CONC. 25.

Matth. 10. 28.

Psal. 118.

DEI, ut simul etiam timeat poenam DEI, per fulmen, infligendam, vel ante oculos ponendam. Vnde plurimi, cum Ceadda, quando tempestas ingruit, in se descendunt; pectus pulsant; de Numine offenso dolent, ad preces conuolant; à peccandi consuetudine re-

S. Basil. in
Plam. 33.
hom. 9.

filiunt. *Timor salutaris, & timor sanctificationem faciens qualis sit vis exponam?* ait S. Basil. *cum ad peccatum aliquod progredi voles, cogita mihi horrendum illud, & non ferendum Christi iudicium. Hac time, & hoc timore eruditus, animam a concupiscentia ad haec mala, velut frano quodam relide.* Ut autem haec cogites, è nubibus, in quibus Filius hominis veniet, mundum iudicaturus, metuenda auribus tonitrua, terrifica oculis fulgura, nullo adamante excludenda fulmina pariuntur. Aere igitur in tot minas contracto, cum pauescit animus, & vel vnicum horret tantopere ictum, alij

Isai. 33. 14.

fese mutuo ita adhortantur: *Quis habitare poterit de vobis cum igne deuorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* alij non tantum ad Hispanicas confugiunt, sed & ad alias sibi à DEO impositas cruces. Et

S. Hieronym. epi.
32. ad Eustochium

quid mirum? cum ipse de se scribat D. Hieronymus, se, metu gehennae, solitudinem & durissimum vitae genus elegisse; & D. Ambrosius

profusius tradat, Martyres, in agone positos, timore gehennæ ante oculos mentis propositæ, vincere solitos earum pœnarum timorem, quæ à carnifice ingerebantur. Ad hunc timorem, quia impellunt fulmina, inde laudanda veniunt, vnde sunt formidanda. Esto occiderint multos puniendo, longà tamen plures non igne, sed ignis timore salubriter tetigerunt. Quemadmodum flammei illi, in cælo, exercitus, quos Italia aliquando vidit, timuit, cavit, de quib⁹ D. Gregorius Turonensis. Vtinã hîc timor multos percelleret, qui cum viuant in cubilibus, in impudicijs, in mollitie, in nefandis criminibus, in stupris, in corruptionibus iuuenû, in seductionibus puellarû, in fœditatibus, quæ nec inter bestias reperiuntur, denique, more Sodomitarum, tamen nō metuunt sulphur, & picem, & ignitas pluuias, & incendia Sodomitarum. Nimirum, quod non metuunt, nō cauent; quod nō cauent, patientur; & tantò atrocius patientur, quantò sunt delicatiores; qui meritò sibi illam facere possent cogitationem, quàm intolerabilis sit futurus ignis gehennæ, cum nunc, post tot & tanta admissa piacula, ne cilicium quidem, incesso corpore, possint tolerare.

S Gregor
Turonens.
li. 10. hist.
Franc. c. 1.

C A-